

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Elemosina b
cum fonte primo

Valde male digerit is qui bene audit et male operatur.

Valde enim male digerit is qui bene audit, et non bene operatur,
quia Dominus Deus noster non deest pascere.
Notum est omnibus quia de pane quem accepimus,
et quem erogamus, reddituri sumus rationem.
Optime nouit Caritas uestra;
non enim tacet nobis pagina diuina, aut adulatur nos Deus.
De isto loco quam liberi simus ad uos, potestis aduertere;
et si forte ego minus liber sum, uel omnes qui in hoc loco uobis loquuntur,
si minus liberi sumus, certe ipse sermo Dei neminem timet.
Nos autem siue timeamus, siue liberi simus,
eum cogimur annuntiare, qui neminem timet;
hoc uobis non homines, sed Deus praestitit, ut et per tumidos liberum audiatis.
Excusationem in iudicio Dei non habebitis,
nisi uos in bonis operibus exercueritis,
et eorum quae audistis tamquam pluuiae fructum congruum dederitis.
Fructus congruus opera bona;
fructus congruus sincera dilectio, non solum fratris, sed et inimici.
Supplicem nullum spernas,
et cui dare non potes quod petierit, non eum spernas;
si potes dare, da; si non potes, affabilem te praesta.
Coronat Deus intus uoluntatem, ubi non inuenit facultatem.
Nemo dicat: Non habeo. Caritas non de sacculo erogatur;
quia quidquid dicimus, et quidquid diximus, et quidquid dicere potuerimus,
uel nos, uel post nos, uel qui ante nos, finem non habent nisi caritatem:
quia finis praecepti caritas est, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.

Si potes dare, da; si non potes, affabilem te fac.
Coronat Deus intus bonitatem ubi non inuenit facultatem.
Nemo dicat, non habebam. Caritas non de saculo erogatur.

Augustinus super Psalmum CIII.

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*, 103.1.19
(CCSL 40, E. Dekkers & J. Fraipont eds., p.1491, ll.11-34).